31

Hierinnen seyn die speciellen pieces: die Thornischen Händel betreffend.

1. Königl. pohlnisches Schreiben an den Czar, 1719.

2. Russiae Imperatoris Litterae ad Regem Poloniae, 1722

3. Constitution des in Warschau anno 1724 angefangenen Reichs-Tags 1725.

4. Königl. preussisches Schreiben an die Könige von Pohlen, Gross Brittannien, Dennemark und Schweden in Thornischer Sache, 1724.

5. des Königs in Preussen ander-
wärtiges schreiben an den
König in Pohlen ~~1725~~ und Kön. Denn.
und Schwe. in der Thornischen Sache
1725.

6. Königl. Dänisches schreiben an
den König in Pohlen, wegen
der Thornischen Sache, 1724.

7. Zwey Königl. Schwedische schreiben
an den Kayser in dieser Sache,
1725.

8. Thornische denckwürdigkeiten,
Berlin, 1726.

9. Vorstellung von Preussen an
eine Gemeinde in Teutschland
wegen der Thornischen Sache.
1725.

10. Bericht von der pohlnischen
Sententz und Execution in
der Thornischen Sache. 1724.

11. Rösneri J. Joh. Gottfr. Grabschrift,
1725

12. Röseners trostrede aus der Ewigkeit, an die bedrängten Glaubensgenossen 1725.

13. Verse auf Roeseners tod, 1725.

14. S. J. L. der entlarvete Jesuit, 1725.

15. H. Finch, des Englischen Gesandten an den König in Pohlen rede 1725.

16. Antiloyola s. Const. Euseb. Beschreibung des Jesuiter ordens, 1725.

17. Litteræ et scripta in quibus continentur Gravamina et Responsiones Reipublicæ Poloniæ contra Regem Borussiæ, 1725.

18. Aulæ Berolinensis Responsio ad Gravamina R. P. Poloniæ, 1726.

19. des Primatis in Pohlen Universalien, wegen Absterben Königs Augusti, II. Breslau 1733.

20 Seconde Lettre d'un Hollandois a un Ami Prussien, ~~MS~~.

21. Epistola de prospera Electione Regis Poloniæ, 1733.

22. falsitas Narrationis de Electione Stanislai et Augusti III, 1734

23. Veræ Rationes quæ dederunt motivum ad disprobandam Electionem Stanislai in Regem poloniæ, 1734.

24. pacta conventa entre la Republique de pologne et frederic August Duc de saxe, 1733.

25. Motifs des Resolutions du Roy de pologne et a Reponce a Vienne, 1733.

26. reponce du Comte de Golowkin au Grand vizir, au sujet des affaires de pologne, a Varsovie, 1734.

27 Capitulation zwischen der Vestung Weichsel-munde und der Russischen Generalitè, 1734.

28. Brieffe wegen der von denen pohlen verbottenen Völcker, welche,

29 Resultat de la Confoederation de Pologne, 1735.

30. Manifestatio Confoederatae Republicae Poloniae patriae insinuata, 1735. cum replicatione,

31 Continuation der Warschauer Confoederation 1735.

Veræ, & Commoventes

RATIONES

QUÆ

REIPUBLICÆ CONFOEDERATÆ

Dederunt motivum ad disaprobandam

Pseudo-Electionem

STANISLAI LESZCZYNII,

ET

Salvandam communem Libertatem, & Salutem publicam per viam liberæ, & ab omni privato studio

Alienæ Electionis

Serenissimi, ac Potentissimi

AUGUSTI III.

REGII PRINCIPIS POLONIÆ,

ET

ELECTORIS SAXONIÆ,

In Regem Regni Poloniæ, & Magnum Ducem Lituaniæ,

Dominumque annexarum Provinciarum, ad idem Regnum spectantium.

Post luctuosam, & omnium ferè sæculorum sensibilitate nunquam satìs deplorandam mortem, placide nunc in DEO quiescentis Serenissimi, ac Potentissimi Poloniarum REGIS AUGUSTI IIdi, Domini nostri Clementissimi, nemo gnarus actorum negabit, quòd vitio, & labe quadam in Vicario Ministerio Regni erat veluti emortua omnis pietas, fides, amor boni publici, & publicæ salutis, libertatisque solicitudo.

In quorum locum præoccupaverat animos Prædominantium sub interregno inauditus à condita Republica fastus, & arrogantia: itidem avaritia pessimum Reipublicæ malum privata studia publicis anteponens commodis.

Ex quibus vitiosis fontibus processit genesis malorum in Republica, nempe: oppressio avitæ libertatis, & æqualitatis à prævalente, & plus quam civilia audente Domo Potociana, Eìque annexarum affidatorumque publica consilia ad suum arbitrium pri-

vatum dirigentium, quamvis in æquali Republica de jure, & juſtitia, par in parem nullam poſſit exercere poteſtatem.

Hinc quoque emerſit everſio fundamentalium legum Reipublicæ, quæ præcipue conſiſtunt in obſervantia, & conſervatione liberi juris vetandi, à quo ſalus publica, totaque pendet libertas.

Ex eodem vitiorum fonte pullulavit ultimarie violentiſſima impoſitio in Regimen, & Regnum Perſonæ inviſæ STANISLAI Leſzczynski, contra quam non ſolum leges Patriæ, & expresſisſimæ Conſtitutiones Regni, ſed inſuper pacta cum vicinis Potentiis fœdera Reipublicæ apertisſime reclamitabant.

Longum eſſet exponere doloſas artes, quibus hæc gravis Reipublicæ factio uſa ſit, ad eludendam, & infrigendam liberam Regis Electionem, & erigendas pravas machinationes ſuas.

Probat ejus rei fidem ſtatim ab initio interregni tempore convocationis in ordine ad deſignandum tempus Electioni novi Regis conflata à Primate Regni, Ejùsque adhærentibus, corruptisſima confœderatio. In qua ad eluſionem, & defraudationem Jurium, Libertatumque Regni, conducto ex Gallia auro, partim emebantur, partim vero vi, & comminationibus necesſitabantur animi liberrimæ gentis Polonæ ad juratoriam obligationem doloſisſimis conceptam terminis de non eligendo alio Rege, nisì indige-

dige-

digena, quem eadem captiosa, & fraudulenta præscriberet Confœderatio.

Patet autem palàm publicissimè dolus, & supplantatio, quâ versùs Ordines Reipublicæ idem Primas Regni usus sit, cum non solùm Statum sæcularem ad puncta confœderationis non approbata acceptanda juramento compulerit, sed etiam Episcopos vi eadem factionis Authoritatem, & Prærogativas lege sibi conceptas jurare coëgit, adeò ut, si Primas Regni contra Leges per scissionem, vel in damnum Patriæ in Electione aliquem ex Candidatis in Regem nominaret, succedentibus ordine, & honore Episcopis conformiter ad antiquas Constitutiones ad evitanda Reipublicæ mala non esset liberum in derogationem Jurium Primatis Regni salvare Patriam, & alium Reipublicæ salubriorem, & magis proficuum Candidatum in Regem nominare.

Apparet etiam Ejusdem Primatis astus, quòd, etiamsi in Confoederatione fecerit sponsionem, se non alium Candidatum velle nominare in Regem, nisì qui unanimi consensu, & nemine contradicente ab Electore Populo fuerit electus; attamen hoc maximi momenti punctum, à quo securitas liberæ Electionis, & publica pendet salus, non inseruit Rotæ juramenti sui, quamvìs è converso Episcopi in hunc finem jurare debuissent, quod Jus Primatiale non violabunt, & in casu scissionis nullum Candidatum nominabunt.

 Quod

Quod verò attinet oppressionem, & præjudicium communi Libertati, in libero Regno Nostro ab eodem Primate illatam, potuìtne unquam luculentius, & fatalius existere exemplum, quam, dum præfatus Primas Proceres Regni, variòsque Districtus, & Palatinatus Poloniæ, & Magni Ducatus Lituaniæ pro manutenenda libera Regum electione contra Convulsores Jurium, & avitarum libertatum trans Vistulam amnem Varsaviæ ad Pragam translatos, & violentæ, adeòque illegitimæ pseudo-electioni Varsaviensi è diametro contrarios ad unionem animorum, & consiliorum secum per Delegatos ex Senatu, & Equestri Ordine invitaret & ea ipsa Legatione pro parte notabili Reipublicæ contrarium sentiente agnovisset, quod non exspectata relatione Illustrissimorum Deputatorū de resolutione Confratrum veluti in apertam Postpositionem, & prostitutionem æqualium sibi concivium, & in convulsionem liberæ electionis ad nominationem Pseudo-Electi sui processerit, & explosis tormentis armamentariis in signum peractæ violentissimæ electionis partem læsam, & oppressam Reipublicæ veluti ad vindictam sublatorum cardinalium jurium Reipublicæ concitaverit.

Tali igitur facto factiosus Regni Primas, Eìque annexi, Fœderatiq; STANISLAO Leszczynski straverunt iter ad Regni Diadema. Quem ut fortiori fundarent fundamento, placuit abuti Sacratissimo vinculo,

lo, quod in mentes animósque mortalium Religionis motivô vel maximè prædominatur, ſcilicet: *obligatione juratoria*. Cujus tamen invaliditas exinde patere poteſt: quod plurimos ad Comitia convocationis congregatos, ad præſtandum hocce Juramentum coactè, dolosè, ſive ſubreptitiè & plane temere induxerint. Et quidem *coactè*: quia ex utroque ordine cives Regni metu mortis, & comminatione confiſcandorum bonorum, Honorumq;, & Miniſteriorum privatione ad juramentum impulerunt. *Dolosè*, & *ſubreptitiè*: quia Rota Juramenti referebatur ad puncta Confœderationis, quorum tenor ab Ordinibus Regni non erat generaliter approbatus. *Temere*: quia inducebantur animi ad invocandum nomen DEI Omnipotentis in vanum, ſtringebanturque jurare in præjudicium Legum, in damnum Reipublicæ, & in præjudicium ſalubrioris Patriæ Candidati, qui ſalva, & externa pace, & tranquilitate Reipublicæ, libere, ſine ulla vi, & coactione eligi potuiſſet; adimebaturque Electori Populo libera voluntas eligendi Regem ad arbitrium, & beneplacitum ſuum, in qua vis, baſis, & fundamentnm *Communis Libertatis* vere, & unice conſiſtit.

Reclamabant confeſtim generoſæ pro tuendis Immunitatibus Regni mentes, quibus lumen rationis, & cognitio Status Reipublicæ conceſſit nôſſe myſteria huic communi Libertati præjudicioſiſſimæ, & fraudulentæ actionis; & ut torrenti hujus pernicioſæ factionis

onis resipiscerent, in subscriptionibus ejusdem instrumenti Confœderationis apposuerunt: necessarias præcustoditiones, & salvas, remittendo approbationem hujus extorsivi, & dolosi Juramenti, ad generalem Palatinatuum, & Districtuum in Campo Electorali concursum.

Sed parum hæc per contemptum, &calcata Jura procedentibus obsistere potuerunt; etenim appropinquante tempore Electioni Regis dicato, nulla in corrupto, &prævaricato Primate Regni interpositarum contradictionum habita fuit ratio, nulla datarum instructionum nunciis à Districtibus, & Palatinatibus Electioni STANISLAI Leszczynski apertissime contradicentibus fuit apprehensio.

Nihil valuêre fortissimæ rationes, nihil moverunt animos in præceps ruentium promulgatæ per typum clarigationes vicinarum Potentiarum, se etiam vi armorum obstituros, ne à Cliente Gallici Imperii, & Suecorum Turcarumque fœderato, cui jam olim nocivus Reipublicæ, & ejus fœderatis cum prædictis Potentiis Tractatus intererat, Polonici Regni Thronus præoccuparetur.

Nulla adjiciebatur fides constantibus relationibus de copiis militiæ Moscovitici Imperii, asserentibus, illas jam actu limites Regni Poloniæ subintrasse, & citatis passibus accelerare, ut fœderi, & Guarantiæ suæ jam olim contra illegitimum ambitum; & attentata e-

jus-

jusdem STANISLAI Leſzczynski cum Republica interpoſitæ ſatisfaceret.

Imò, quod vix dictu credibile, eò processit obſtinata, & tranquillitati totius Chriſtianitatis inimica factio interregiæ Poteſtatis, ut literas Sereniſſimæ Imperatricis Moſchovitici Imperii cum omni amicabili præcautione eo intuitu ad Sereniſſimam Rempublicam Polonam ſcriptas in ſequiorem torqueret interpretationem, & variis afficeret acclamamationibus, ut auditoribus verum rei adimeret intellectum.

Nihil ultimariè profuêre interpoſitæ numeroſiſſimæ à Senatu, & Equeſtri Ordine, imò ab integris Palatinatibus, & Diſtrictibus proteſtationes, & manifeſtationes, de ruptis legibus, & infracta libera electione, de violatis fœderibus cum vicinis Potentiis, & perturbata pace, & tranquillitate interna, & externa Reipublicæ dolentisſimè conquerentium, & à violento, doloſo, & perniciosiſſimo electionis actu publica conſilia in liberiorem, & tutiorem locum transferentium.

Pars enim imperioſa, & legifraga Reipublicæ invertendo omnia, quæcunque jus, mos, & Libertas in Libero, & Electitio Regno, longo annorum uſu ſtabiliverat, violavit imprimis Patria jura, & conſuetudines, denegando in campo Electorali comparitionem Oratoribus extraneorum Principum ſtudia, & deſideria Principalium ſuorum exponere jus habentium.

Eundem commiſit errorem, non admittendo pro-

 poſi-

positiones Candidatorum ad Regni Coronam, dolosissimo fine, nè Elector Populus, de commodis & incommodis, quæ Reipublicæ exinde provenire possint, informatus, necessarias in Electione Regis, & præferentia Candidatorum mensuras capere possit.

Violavit ultimarie pretiosissima, & Cardinalia Jura Libertatis, & propriam juratam confœderationem, dum arrogata sibi absoluta quadam potestate contra jus æquitatis, & æqualitatis, in apertissima Reipublicæ scissione die 12. Septembris processit ad nominationem sui Electi, ediditque in lucem hactenus occultatam in favorem Gallicæ factionis machinationem, imponendo liberrimæ Nationi Polonæ, postposita parte Reipublicæ contrarium sentiente, pro Rege, & Rectore Regni STANISLAUM Leszczynium Indigenam, & Patriotam quidem, sed ob rationes infrà allegandas expressissimis Constitutionibus Regni proscriptum, & pro hoste Patriæ declaratum atq; ex ratione pactorum fœderum Reipublicæ cum vicinis Amicis Potentiis sine infractione pacis, & concordiæ cum iisdem ad Gubernacula Regni nunquam admissibilem.

Quæ omnia ad liquidum patere possunt, primò ex Constitutione Lublinensi 1703. anni, itidem ex Confœderatione Sandomiriensi anni 1704. quæ generali congressu sive Consilio magno Varsaviensi sub Anno 1710. plenam nacta est confirmationem; in eaque præsens Celsissimus Primas Regni pro tunc Episcopus Culmensis solenni in facie Statuum Reipublicæ præstito Juramento ipse eundem

STA-

STANISLAUM Leſzczynium tanquam à Corona Suetica Reipublicæ intruſum Pſeudo-electum in ævum pro incapaci, & inhabili ad Coronam Regni Poloniæ jurata expunxit fide.

Ultimariè Conſtitutio Anni 1717. Tractatus Varſavienſis tractans de *indulgendo beneficio amneſtiæ Stanislao Leſzczinio*, & his, qui cum eo extra limites Regni commorabantur, expreſsiſsimè præcavet, quòd, nisì hi tumultuarii, & crimine perduellionis notati cives in ſpatio trium menſium ad Rempublicam ſint reverſuri, illos communi Libertate amplius in Republica Polona gaudere non poſſe, & ideo in caſu non reſipiſcentiæ in eadem Conſtitutione ſalva executio pœnarum in legibus expreſſarum contra eoſdem omnino eſt reſervata, quæ poſtea Comitiis Grodnenſibus Anno 1718 in toto approbata fuit.

Jam verò eſt, quod æquo judicio Orbis, & juſtæ Reipublicæ indignationi ſubeſſe debeat: quod, dum idem Primas Regni in nuperis Comitiis Convocationis jurata ſua Confœderatione omnes jure victos arceret à Campo Electorali, & Regis electione, ipſe imprudenter, & inconſideratisſimè contra antiquiores, & recenter latas Leges, ipſamque Confœderationem ſuam in nupera Pſeudo-electione Varſavienſi perſonam ejusdem Leſzczynii ſub graviſſimo nexu Juris exiſtentem, quem Respublica, tanquam Socium, & Fœderatum hoſtem Patriæ, uſurpatoremque alieni Throni tot repetitis Conſtitutionibus in multifariis Conventibus Regni proſcripſit, & condemnavit, com-

nique Patriæ Libertate interdixit, Regno Poloniæ pro Rege, & Rectore ausus sit obtrudere!

Utque compleret intervertere Jura, & consuetudines Regni, Eundem STANISLAUM Leszczynium sub ipsam Electionem ex Gallia conduxit Varsaviam, ut in præsentia partes factionis suæ eò fortius augere, Electionemque suam promovere posset, postpositis Legibus Patriis, quæ Candidatis ad Regnum propè Electionum commorari expressissime interdicunt.

Hæc itaque communem Libertatem, Dignitatem, Jura, & securitatem Reipublicæ evertentia, attentata imperiosi Vicariatûs Regni Rempublicam ultro in tempestates, & in detestabilia pericula protrudentia moverunt animos confœderatae Reipublicae, ut exemplo Majorum Suorum arriperent media de restituenda tranquillitate publica, & de erigenda, & vindicanda prostrata, & conculcata avita Libertate, & maxime ea, quae est basis omnium Libertatum Nostrarum, scilicet: de eversa libera Regis Electione, stantibus tot millenis contradicentibus.

Igitur post interpositam rite, & in tempore manifestationem, dum locus ordinarius in Campo Electorali cædibus, & injuriis saeviens in Confratrum suorum voluntates factus sit veluti opprobrium, & scopulus Libertatis; Pars lęsa, & oppressa Reipublicę transtulit consilia publica in liberiorem, & tutiorem à tumultibus, & persecutionibus locum, trans Vistulam amnem, ut Pharsalicos cum Confratribus suis evitaret conflictus, indulgeretque spatium

tium maturiori deliberationi Ubi ſuperatis DEO auxiliante periculis, & hoſtilitatibus tyrannicę perſecutionis adverſę partis, à qua uſque ad confinia Lituanię erat hoſtilibus cędibus, & lanienis propulſa, tandem die 5 Menſis Octobr. in anno currenti nondum elapſo ſpatio 6. hebdomadarum Comitiis Electionis de Lege pręſcripto, in tempore, quod convulſores Patriarum Legum pręcoci, & perimenti facto ſuo temerè interruperant, reaſſumptis conſiliis procesſit ad liberam Electionem, ut errores Confratrum, qui contra Jus ſcriptum evidens, & contra voluntatem liberam æqualium ſibi Concivium authoritatem imponendi communi Nobilitati Regem ſibi appropriare voluerunt, corrigere, & labentia Privilegia Libertatis poſtliminio firmare poſſet.

Itaque dum tentatis acriter mediis ob ſublatum præcipitanter die 16 Septembris pontem in Viſtula fluvio, quem propter commeatum & communicationem conſiliorum cum Diſtrictib. & Palatinatib. Lex & conſuetudo ad ultimum Comitiorum Electionis determinium, ſpatium 6. hebdomadarum continentium, in plena integritate conſervare conſtituit, & ob continuatas ab adverſa parte crudelisſimas hoſtilitates nullus ad reoccupandum uſitatum Electionis locum inter Varſaviam, & Volam daretur modus, non in loco, ſed in re, & uniformibus conſiliis, more & exemplo Majorum Suorum Libertatibus & Juribus ſuis quærendo ſalutem; ita dictante & inſpirante gratia Divina, in Campo Electorali ad Kaminiennam liberis,

& concordibus suffragiis sub prudentissima nominatione Illustrissimi & Reverend. Dom. Stanislai Hosii, Episcopi Poznaniensis in frequentissimo Illustrissimi Senatus & Regni Ministrorum Comitatu, dirigente pro tunc Rotam Equestris Ordinis Illustrissimo Domino Poninscio Instigatore Regni, non per calcata jura vetandi fatali Varsaviensis Pseudo-Electionis exemplo, sed præmissa trina per Palatinatus, & Districtus interrogatione, nemine contradicente, imo omnibus applaudentibus, pars antiquas libertates, Immunitates, & Jura Regni manutenens Serenissimum Principem, & Dom. Dominum FRIDERICUM AUGUSTUM, Principem Regium Poloniæ, & Electorem Saxoniæ, in Regem Poloniæ, & Magnum Ducem Lithuaniæ, annexarumque Provinciarum Dominum, sub Nomine AUGUSTI III. feliciter elegit, & nominavit.

Et quemadmodum hæc pars de Republica recte sentiens, hunc pium, justum, fortem, & magnanimum Principem in Tutorem, & Vindicem Libertatum, immunitatum, & Jurium suorum firmiter constituit, ita pro defensione communi, & tuitione Serenissimi Electi Sacro-Sancto, & strictissimo Confœderationis Vinculo se se Eidem Serenissimo Regi Electo obstrinxit, fortunas, sanguinem, & vitam pro tuenda fide, Electo Rege, & Lege, fideli oblatione immolando, constituitq; sibi in Directorem præfatæ Generalis Confœderationis, Eundem Illustriss. Instigatorem Regni, qui Comitiis Electionis ex Provincia Majoris Poloniæ, tanquam Director, & Mareschalcus Ordini Equestri feliciter præfuerat.

Tra-

Traxit animos Reipublicæ Confœderatæ in Venerationem, & Electionem hujus Magnanimi Principis:

Prius vera & constans erga Religionem Orthodoxam Romano-Catholicam propensio, distinctissimæ Heroicarum Virtutum Qualitates;

Regalis, & Majestuosus Augustissimi Sanguinis splendor, innumeris originibus de Stirpe Jagellonica derivans, adeòque nativo amore & correlatione ad tuendum, & protegendum decus Polonæ Libertatis propendens, & ex hac ipsa ratione pro Vero Piasto Indigena Polono ab omnib. impartialib. Compatriotis jure merito venerandus.

Militavit pro eodem Principe edocta à Parente, & Præceptore Rege ars comiter, liberaliter, & gratiosissimè imperandi liberæ Genti, evitandique ea cuncta, quæ Libertatis Polonæ, & Legum Instituta lædere, animosque fidelium subditorum affligere possint.

Recommendarunt amori Electoris Populi, & publico delectui Eundem Principem Propositiones communi Libertati, commodis, Gloriæ & Securitati totius Reipublicæ faventissimæ, quas magnanimo, & optimo Principi in signũ benevolentissimi animi sui, erga Rempublicam Polonã per Illustrissimos, & Excelsissimos Ministros Plenipotentiarios suos in Campo Electorali proponere placuit.

Conciliavit Vota, & favorem Ejusdem Electoris Populi in optionem Serenissimi Electi nostri etiam vicinorũ Principum erga Electum Regem nostrum amicitia, & propensio, quæ Reipublicæ nostræ Polonæ bonam vicinitatẽ, pacem, & amicitiam cum iisdem pollicetur Potentiis.

Commovit nos ultimarie in Dilectionem, & Electionem hujus Principis fortitudo, auxiliumque in armis, quæ ab hoc Potentissimo Electo in casu necessitatis contra quosvis hostes, & aggressores parata habere possumus, iis pactis, ut ad instantiam Reipublicæ, cessante necessitate defensionali, protinus evacuari, nec Reipublicæ esse infesti debeant; adeò ut in hoc præsenti arduo, & difficillimo Reipublicæ tempore Electus Rex Noster solus pretiosas Libertates Juraque Reipublicæ reparare, & contra convulsores, & oppressores manutenere, tranquillitatem internam, & externam Patriæ redonare, seculoque nostro Pacem, & quietem impertiri, conciliareque poterit.

Hæc igitur sunt veræ, & justissimæ rationes, quæ animos Electoris Populi à STANISLAO Leszczynio violento, & injusto usurpatore Regni averterunt, & in Electionem Serenissimi ac Potentissimi Principis FRIDERICI AUGUSTI Regii Principis Poloniæ, & Electoris Saxoniæ converterunt.

Quem uti Ordines Reipublicæ liberis & concordibus suffragiis, & fideli applausu sub Augustissimo Nomine AUGUSTI III. nuper in Campo Electorali ad Kamiennam in Regem Poloniæ, & Magnum Ducem Lituaniæ, annexarumque Provinciarum Dominem nominarunt, elegeruntque, ita idem nunc Confœderati Ordines in tuitionem, & defensionem Serenissimæ Ejus Majestatis, & avitarum Libertatum, Fortunas, vitam, & charissima quæque impendere Sacro-Sancto appromittunt voto; huncque zelum suum toti Christiano Orbi faciunt manifestum.

ad 161